

Supremus Comes, et Dominus Adamus Naysich, Regni Vice-Banus, Dominus Joannes Busan, Supremus Regni Exactor, Dominus Nicolaus Skerlecz, Tabulae Judiciarum Assessor, Dominus Antonius Jankovich, Comitatus Crisiensis Vice-Comes, Dominus Petrus Spissich et Dominus Joannes Blaskoczy, Judex Civitatis Varasdinensis, quibus pro Actuario adjungitur Dominus Christoforus Bornemissa, Conferentiarum Secretarius. Quae quidem Deputatio tam reflexiones circa antelatum benignum Mandatum occurriles, quam et opinionem circa hactenus usurpatam Comitatus Varasdinensis restorationis modalitatem via Juris reducendam, uti et circa schema augendorum Salariorum, pro hisque exquirendos fundos depromet, simulque quoad continuandum viarum reparationis laborem modalitatem elaborabit, relationem de singulis punctis Statibus et Ordinibus in publico factura. Cujus quidem Benigni Mandati tenor est sequens:

Maria Theresia, Dei Gratia Romanorum Imperatrix, Germaniae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Regina Apostolica, Archidux Austriae etc.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes, ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Demisse Majestati nostrae relata est humillima fidelitatum vestrarum circa Regulationem trium hujus Regni nostri Croatiae Comitatum utpote Zagrabiensis, Crisiensis et Varasdinensis Anno novissime transacto Mensis Novembris 16. die ex Generali earundem Congregatione Varasдини celebrata submissa Repraesentatio, et in hac contenta quoad modum et formam ejusmodi regulationis opinio.

Et quemadmodum illinc a consensu Regali solio omnes nostri conatus eo directi sunt et porro quoque diriguntur, ut Regnorum atque provinciarum, Divinitus Imperio nostro subjectarum saluti prosperitatisque omni meliori modo consultum eatur, Justitiaeque, quae Regiminis firmamentum est, omnibus rite et exacte administretur, atque ita rectus Legibusque Regni conformis rerum agenda-rum ordo stabiliatur; Ita omnibus, quae in hanc rem concurrunt, circumstantiis rite expensis, sequentem, per quam ipsius Bani et Regni activitati prospicitur, clementer impertimur resolutionem. Et

Quantum quidem ad normam Restorationis Magistratualis in iisdem Comitatus (excepto ea in parte pro hic et nunc Varasdinensi Comitatu, de quo separatim agetur) deinceps observandam, tametsi fidelitates vestrae ad immemorialem, Regiis etiam Diplomatum confirmatam, Bani et Regni praerogativam, usumque et consuetudinem, cujus vigore Officia Comitatum Zagrabiensis et Crisiensis, eo etiam non obstante, quod Supremi horum Comites e Regiis resolutionibus nominati fuerint, erga Bani propositionem in Congressu Regnicolari restaurari hactenus solebant, provocantes, ultro quoque praerogativam isthanc, per novissimum etiam Anno 1750. Benignum Diploma nostrum praetensive stabilitam, conservari supplicent.

Quia nihilominus praerogativa haec in Regni Constitutione non fundatur, allegata vero Diplomata nullam illius mentionem continent, consuetudo porro Legis praesidio destituta attendi nequit, vel etiam ob id, quod hactenus Comitatus illi negotia publica non pertractaverint, ast haec in Regni Congregatione agebantur; jam vero cum regulandi sint, sicque publicorum tractatus suo modo ipsis etiam incumbat, restaurandi modus, hactenus exercitae rerum manipulationi